

CASUS

DE NATURA MATRIMONII

SEU

De consensu conjugali absoluto et conditionali; de divortio a vinculo et a toro; de officio Parochi quoad sponso conjungendos.

CASUS I.

CONSENSUS CONJUGALIS 1°.

1° MAXENTIUS, nuptias cum SOPHIA celebraturus, debitis proclamationibus præmissis, statuto die, coram Parocho et testibus, comitante sponsa, comparet. Interrogatus vero a Pastore de consensu, capite tantum annuit. Sponsa autem præ gaudio flere incipit. Parochus vero commotus statim dicit: *Ego vos conjungo*, etc.

2° BLANDINUS et BLANDINA nuptias celebrant, licet existiment se impedimento matrimonii secreto obstringi, et parentes BLANDINÆ renuant. Abstinent autem a petenda dispensatione, tum ob verecundiam, tum quia timent ne repulsam patiantur, et a matrimonio contrahendo impediuntur. Perfecta vero nuptiarum solemnitate, BLANDINA, stimulo conscientiae impulsam rem totam pandit Parocho, qui, re perpensa, declarat nullum reapse subsistere matrimonio impedimentum. At nihilominus graviter de valore matrimonii adhuc dubitat, ob legitimi consensus defectum, tum ex parte sponsorum, tum ex parte parentum.

HINC :

QUER. 1° *An validus fuerit ex utraque parte consensus, in primo casu?*

2° *An, vel quomodo peccaverit Parochus non requirens ut consensus verbis exprimeretur?*

3° *An validus fuerit consensus BLANDINI et BLANDINÆ in secundo casu, et proinde an validum sit ex hac parte eorum matrimonium?*

4° *An consensus parentum requiratur ad matrimonii validitatem, vel liceitatem?*

SOLUTIO :

890. — *R. ad 1^m Quæ.* Consensus fuit certo validus ex parte sponsi, quia de jure naturali ad valorem contractus sufficit ut consensus certo signo exprimatur. Adde quod ex variis locis Juris canonici id etiam constat, apud *S. Lig. n. 887*. Non fuit autem validus consensus ex parte sponsæ, quia lacrymæ non sunt signum naturale et manifestum per se

consensus. Neque satis esset, si manum a sponso apprehensam non retraheret. Secus vero, si ipsa manum protenderet, quando fides datur. *S. Lig. n. 889*.

891. — *R. ad 2^m Quæ.* Si consensus fuisset clare signis manifestatus ex utraque parte, Parochus peccavisset quidem agendo contra Rubricas, seu legem Ecclesiæ, quæ requirit ut consensus verbis exprimatur; sed *probabilius* venialiter tantum deliquisset. Ita *communiter* cum *S. Lig. n. 888*. Sed, in nostro casu, Parochus non videtur a culpa gravi excusandus, ex eo quod festinaverit benedictionem impertire quin de consensu sponsæ certus satis esset, et proinde matrimonium periculo nullitatis exposuerit. Debuisset enim commotionem comprimere, et signa consensus indubia requirere.

892. — *R. ad 3^m Quæ. Affirm.* Nullo enim existente impedimento, matrimonium illud validum apparet; quia sponsi non erant omnino certi de impedimento, sed existimabant tantum adesse. Proinde contrahere volebant in quantum poterant, seu dare consensum in verum matrimonium, si forte impedimentum non exstisset. Ergo de facto, non subsistente impedimento, valet consensus. Ita *communiter*. — *Lacroix, n. 531*. — *Carrière, etc.* — Major evaderet difficultas, si sponsi essent omnino persuasi de impedimenti existentia. Attamen, etiam in hoc casu, *probabilius* validum erit matrimonium, si, dolentes de impedimento illo, sponsi cupiant esse veri conjuges, et impedimentum declarare non audeant ex verecundia, aut timore ne matrimonium impediatur, etc., non autem velint vivere in concubinato. Tunc enim consensum est valere matrimonium ob voluntatem prædominantem illud contrahendi. Attamen in praxi inducendi essent ad consensum renovandum *ad cautelam*. *Lacroix, n. 531*. — *Carrière, etc.* — *V. Comp. n. 791*.

893. — *R. ad 4^m Quæ.* 1° Consensus parentum minime requiritur ad matrimonii valorem. Constat ex *Conc. Trid. sess. 24, c. 1*. Et reapse, de jure naturali, contrahentes jus habent in proprium corpus, nec parentes ullo jure in corpus filiorum fruuntur. *V. Comp. n. 754*.

2° Requiritur vero ad liceitatem, generatim loquendo, quia filii debent parentibus honorem, reverentiam et obsequium, maxime, in his quæ ad familiam spectant. Constat etiam ex *Conc. Trid. ibid.* — *V. Comp. ibid.*

CASUS II.

CONSENSUS CONJUGALIS 2°.

JOVINUS, conjugatus, negotiorum causa a patria digressus, turpiter cum TERESIA conversatur. Simulans autem se ab omni vinculo solutum, novum cum eadem matrimonium attentare non dubitavit. At paulo post, TERESIA derelicta, repente in patriam revertitur. Sed, ecce, vix advenit, cum rescit uxorem suam jam obiisse quando TERESIAM duxit. Cogitabat de ea adeunda vel accersenda, cum novit ÆMILIAM viduam valde divitem velle ad novas nuptias transire. Quapropter occasionem nactus, ejus manum

requirit. Celebrato hoc novo conjugio, JOVINUS, ad meliorem frugem se recipiens, adit Confessarium cui omnia a se gesta manifestat. Hic vero graviter dubitat de valore utriusque matrimonii, scilicet, prioris cum TERESIA, et posterioris cum ÆMILIA contracti. Ratio autem dubitandi est, quia non censetur ille serio contrahere, qui alterius vinculi conscius est, quod in utroque casu recurrit.

HINC :

QUÆR. 1° *An validum fuerit matrimonium JOVINI cum TERESIA contractum?*

2° *An validum fuerit connubium ejusdem cum ÆMILIA initum?*

3° *Quid generatim agendum cum eo qui post nuptias, declarat se non verum dedisse consensum?*

SOLUTIO :

894. — *R. ad 1^m Quærs. Neg.* JOVINUS enim minime dubitans quod uxor sua superstes foret, non potuit verum consensum præstare; proindeque fide tantum consensit in nuptias cum TERESIA ineundas: seu nihil aliud intendit, nisi vivere in mero concubinato, sub ficta specie matrimonii. Hoc enim ex omnibus casibus circumstantiis elucescit. Ergo ut omnino invalidum habendum est. Hic autem locum non habet criminis impedimentum, tum quia uxor JOVINI jam e vita excesserat quando ille scelestus vir rem habuit cum TERESIA et ei matrimonium promisit, tum quia etiamsi JOVINUS adulterium patrasset, connubium TERESIAE promittendo, adulterium illud non fuisset formale ex utraque parte, adeoque defuisset aliqua conditio requisita ad impedimentum criminis incurrendum.

895. — *R. ad 2^m Quærs. Affirm.* Sequitur ex dictis. Etenim, si quid obstaret validitati hujus matrimonii, esset matrimonium cum TERESIA initum; sed prorsus invalidum fuit: ergo... Nec difficultas oriri potest ex eo quod JOVINUS, contrahendo cum ÆMILIA, se ligatum erga TERESIAM existimaverit; nam, cum ignoraret utrum conjux viveret necne, minime certus erat de valore matrimonii cum TERESIA initi, et proinde cum ÆMILIA contraxit in quantum poterat; atqui poterat valide, nullo subsistente impedimento: ergo valide contraxit cum ÆMILIA. Ergo cum illa remaneat et in bona pace vivat. *V. Comp. n. 791.*

896. — *R. ad 3^m Quærs.* 1° Quoad *forum externum* fides ei non est adhibenda, nisi ex circumstantiis peculiaribus pateat eum fuisse metu gravi adactum, etc... 2° *In foro autem interno* ordinarie obligandus est ad verum consensum præstandum, ut sic injuriam comparti illatam repararet, nisi ipsa libenter ad separationem consentiat, vel ipse ad nuptias cogatur. *V. Comp. n. 753.*

CASUS III.

SENSUS CONDITIONALIS.

PATRICIUS, juvenis nobili stirpe oriundus, sed fortunæ bonis non abundans, avunculum habet divitem a quo universalis hæres instituendus erat,

si matrimonium sibi gratum esset initurus. Iter agens extra patriam, occasione data, MARTINAM sub spe matrimonii defloravit, imo et gravidam effecit. A patre puellæ minis adactus, eam quidem ducit, sed ea conditione si avunculus consenserit, quia ait se non posse, invito avunculo, matrimonium contrahere, quin amplam amittat hæreditatem. Ipse autem existimabat pro certo avunculum his nuptiis nunquam consensurum esse. Res interim a patre MARTINÆ, ope cujusdam amici, ita pertractatur, ut avunculus consensum præbeat. Quod cum rescivisset PATRICIUS, in patriam rediit, ibique alteram puellam sibi copulavit. Denique, vehemente quadam concione audita, conscientia stimulis pressus, Confessarium adit, cui hæc omnia aperit. Hæret autem anceps Sacerdos, nesciens quid de valore utriusque matrimonii sentiendum sit.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quando matrimonium sub conditione initum validum sit?*

2° *An sit licitum, et a Parocho admittendum?*

3° *An, purificata conditione in matrimonio conditionali, novus partium consensus requiratur?*

4° *Quid de casu sentiendum, et quid PATRICIO præscribendum?*

SOLUTIO :

897. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° Valet matrimonium sub conditione de præterito et de præsentibus, si conditio sit honesta et adimpleatur, ut patet. — 2° Valet etiam matrimonium sub conditione honesta de futuro, purificata conditione, quia consensus conditionalis per conditionis eventum fit absolutus, et proinde contractum perficit. Cætera quidem Sacramenta non valent, si conditio de futuro sive a ministro sive a subjecto apponatur quia horum effectus suspendi nequit. Secus vero de matrimonio, quia rationem contractus habet. *V. Comp. n. 750.*

898. — *R. ad 2^m Quærs.* Prorsus illicitum est in omni casu, ob maxima incommoda quæ ex illo modo contrahendi sequuntur: ideoque nunquam a Parocho est permittendum. *V. Comp. ibid.*

899. — *R. ad 3^m Quærs.* Nequaquam; consensus enim, manente conditione, est tantum suspensus: ergo, ea purificata, fit absolutus, modo tamen interea non sit retractatus. Ergo novus consensus minime requiritur.

900. — *R. ad 4^m Quærs.,* seu ad casum. 1° Non valet prius PATRICIUS matrimonium, ob defectum veri consensus. Fictè enim consensum præbuit, nolens reapse nuptias cum MARTINA contrahere. Ratio ex hoc deducitur, quod conditionate consentiendo pro certo habebat conditionem minime purificandam fore: ergo non consentiebat, nisi quia putabat consensum nullum effectum esse abiturum, alias non consensisset. Ergo revera nullus fuit consensus; ergo nullus contractus. Confirmatur ex hoc quod audiens purificatam fuisse conditionem contra ejus expectationem, statim fugam arripuerit, non se reputans contractu suo ligatum. Nec obs-

tat quod ad meliorem frugem receptus PATRICIUS, stimulis conscientiae pressus fuerit. Locum his animi anxietatibus satis dederat, pluries MARTINAM graviter decipiendo et etiam turpiter deslorando. Quod si consequenter circa valorem prioris matrimonii aliquo dubio laboraverit, dubitatio illa in nullo gravi fundamento innititur, neque conscientia consequens in actum præcedentem influere potest.

901. — 2º Quapropter, valet posterius matrimonium PATRICII. Etenim, si quid valori hujus matrimonii obstaret, nihil aliud esset nisi impedimentum ligaminis cum priori sponsa contractum; atqui nullum est tale impedimentum, cum ex dictis invalidum fuerit illud matrimonium defectu consensus. Ergo PATRICIO præscribendum est ut secundæ uxori, utpote legitimæ, adhæreat, et cum ea in bona pace vitam ducat. Præterea ipsi injungendum est ut pro suis facultatibus compenset damna quæ priori sponsæ intulit, et imprimis ut debitas expensas pro educatione prolis susceptæ conferat.

CASUS IV.

SOLUTIO MATRIMONII 1º.

BENJAMINUS, judæus, conjugium cum ANNA inivit et consummavit. Elapsis circiter annis duobus, cura et studio catholici Sacerdotis, de Religionis christianæ mysteriis edoctus Fidem catholicam sincere amplexatus est. Omnem curam adhibuit, ut conjugem suam ad veritatis agnitionem adduceret; at incassum. ANNA enim, licet cum pace habitare non recusaret, in judaica tamen lege se ad vitæ exitum perseverare velle declaravit. Quid vero BENJAMINUS? Uxore derelicta, mundo valedicens, ut Deo perfectius inservire posset, Religiosæ cuidem familiæ adjunctus est, ubi, elapso tyrocini anno, vota nuncupavit. Post annos aliquot, ANNA, quæ innumpta perseveraverat, ipsa quoque Baptismum suscepit, et voluntatem suam significavit, ut cum suo conjugē cohabitaret. Nescit autem BENJAMINUS utrum ad uxorem redire possit, aut etiam debeat.

HINC :

QUÆR. 1º *An, vel quando matrimonia infidelium consummata dissolvantur?*

2º *Quid in casu sentiendum, et quid BENJAMINO agendum?*

3º *An BENJAMINUS potuisset ipse matrimonium aliud contrahere, si in Religionem non fuisset ingressus?*

SOLUTIO :

902. — *R. ad 1º Quæs.* Matrimonium infidelium, etiam consummatum, dissolvi potest ratione vinculi, quando, uno conjugē ad Fidem catholicam converso, alter recusat habitare cum ipso pacifice, vel sine contumelia Creatoris. Ille autem casus est triplex, scilicet: 1º si conjux remanens in infidelitate nolit cum altero cohabitare, id est, si discedat; 2º si nolit habitare sine injuria Creatoris, seu Religionis; 3º si eum vult attrahere ad peccatum mortale. *S. Lig. n. 956.*

903. — Eruitur ex verbis Apostoli (1. Cor. 7. 12), ubi ait: *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam... Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.*

Ex his verbis merito concluditur, conjugem conversum posse dissolvere matrimonium in infidelitate contractum, si alter nolit cum eo habitare, aut non nisi cum contemptu Religionis vel periculo animæ. Etenim Apostolus in allatis verbis concedit facultatem dissolvendi matrimonium quoad vinculum; nam loquendo de fidelibus ait: *Discedat.* Insuper patet Apostolum voluisse privilegium concedere; atqui, nisi ageretur de dissolutione matrimonii quoad vinculum, nullum concederet privilegium, cum apud ipsos fideles, uno conjugē nolente cohabitare, alter ad cohabitationem non teneatur. Ita Apostolum explicant *Innoc. III, Bened. XIV, et communiter Theologi.* — *V. Carrière, n. 238. — Gousset, n. 805.*

904. — *R. ad 2º Quæs.* BENJAMINUS potuit, ANNA relicta, Religionem ingredi, et in ea valide profiteri. Casus noster magnam præ se ferret difficultatem, vel in sensu opposito esset resolvendus, si ad sola Apostoli verba attenderetur; dicit enim Apostolus: *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ergo vir, in hoc casu, illicite ageret dimittendo uxorem, ut Religionem ingrederetur. Ergo invalide profiteretur, quia professio viri conjugati valida esse nequit, nisi de consensu uxoris Religionem fuerit ingressus. Attamen pro valore Professionis standum est. Etenim, licet, in primitiva Ecclesia, ad Fidem propagandam consultius visum fuerit Apostolo ut conjux ad Fidem conversus cohabitaret cum conjugē infideli, si hic sine contumelia Creatoris et inductione ad peccatum cohabitare vellet; postea tamen, crescente Fide et numero fidelium, visum fuit Ecclesiæ, ad impedienda perversionis pericula, aliaque incommoda, prohibere cohabitationem conjugis fidelis cum infideli, si is ad Fidem se convertere recuset.

Constat ex Jure can. *cap. Judæi, c. Sæpe, 28, apud Layman, de Matrim. p. 2, c. 3,* ubi dicit cum *Rebello* et aliis: « Romæ, cum Judæus vel Judæa ad Fidem christianam convertitur, assignari 40 dies conjugi infideli ad deliberandum; et si, iis elapsis, conversionem respuat, separationem institui quoad torum et habitationem, licet absque injuria Creatoris cohabitare vellet. » Hinc patet casus nostri decisio, scilicet: BENJAMINUS non tantum potest, sed debet ab uxore infideli discedere. Ergo, stante lege Ecclesiæ, nullam injuriam illi irrogavit discedendo. Ergo ejus consensu non indiguit ad Religionem ingrediendam et profiterendam. Ergo valide solemnem egit Professionem. Ergo uxor ejus ANNA nullo prorsus jure gaudet ad virum reclamandum, licet postea ad Fidem conversa fuerit, siquidem Professio, semel valida, per se non dissolvitur. Ergo in bona pace remaneat BENJAMINUS, et officia boni Religiosi adimplere pergat.

905. — *R. ad 3º Quæs. Controvertitur: multi negant.* Ratio eorum 1º eruitur ex S. Paulo, qui aperte dicit: *Si hæc (uxor) consentit habitare cum illo, non dimittat illam...* Apostolus igitur non concedit facultatem

tatem dissolutionis, nisi pro casu quo infidelis discedat, explicite vel implicite nolendo vivere pacifice, etc. Ergo concessio ad hunc casum restringi debet. 2° Eruitur ex *Innocentio III*, qui ait *C. Gaudemus*, 8, *de Divortis*: « Nunquam, ea vivente (uxore), licite poterit aliam habere, « nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut « etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum « pertrahat ad peccatum mortale. » Sic etiam declaravit *S. Congr. Conc.*, teste *Bened. XIV*, *de Syn.* l. 13, c. 21. — *V. Carrière*, n. 279.

906. — *Affirmant* vero non pauci et gravissimi Auctores. Ratio eorum est, 1° quia verba Apostoli: *non dimittat illam...* intelligi possunt de consilio, non de præcepto; 2° quia, si intelligantur de præcepto, cessavit illud præceptum, cessante ejus ratione: etenim prioribus sæculis Ecclesiæ non expediebat quidem ut fidelis ab infideli separaretur, præter casus supra enumeratos, secus vero postea, quia graviora mala ex cohabitatione fuerunt metuenda; 3° quia Ecclesia prohibuit postea cohabitationem, ut supra dictum est; et proinde infidelis nolens converti, implicite discedit, siquidem cogit alterum ad discedendum. *Ita Sanchez*, l. 7, *disp.* 63, cum *Bellarmino*, etc. Et hanc sententiam *probabiliorem* dicit *S. Lig.* n. 957.

CASUS V.

SOLUTIO MATRIMONII 2°.

FELICIANUS, matrimonio cum SYLVIA contracto et nondum consummato, uxori et mundo valedicens, divina afflante gratia Ordinem religiosum ingressus est, ibique vota solemnia nuncupavit. SYLVIA et ipsa Congregationem quamdam mulierum ingressa, votum castitatis simplex coram Episcopo emisit. Lapsu vero temporis, e concepto fervore paulatim decidens, SYLVIA e Congregatione egressa est, et ad sæculum rediit. Tunc ad exteram regionem se contulit, nuptiasque celebravit cum HERMANNO, cui totam vitam occultavit. Rebus tamen postea cognitis, HERMANNUS, existimans irritum esse suum matrimonium, SYLVIA dimissa, novis nuptiis inhiare cœpit; sed antea quærit a Confessario utrum id agere possit?

HINC :

QUER. 1° *An Professio religiosa solvat matrimonium?*

2° *Quonam jure illud dirimat?*

3° *An matrimonium SYLVIAE cum HERMANNO validum et licitum fuerit? Et quid de proposito HERMANNI ad alias nuptias convolandi?*

SOLUTIO :

907. — *R. ad 1^m Quæst.* *Affirmative*, modo matrimonium sit tantum ratum et non consummatum. Constat ex *Conc. Trid. sess. 24, can. 6*: « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem « Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. » Hoc igitur ad Fidem pertinet. Constat etiam ex variis Decisionibus SS.

Pontificum, præsertim *Alexandri III*, *Innocentii III*, etc., necnon ex constanti Ecclesiæ praxi.

908. — *R. ad 2^m Quæst. Controvertitur*: juxta plures, de Jure naturali; juxta alios, de Jure ecclesiastico; sed probabilius, juxta communior sententiam, de Jure divino ab Ecclesia declarato. *Sic P. Perrone de Matrimonio christiano*, tom. 3, *sect.* 2, c. 6. — *Carrière*, n. 311 et seq.; in *ejusdem Comp.* n. 97.

909. — *R. ad 3^m Quæst.* Matrimonium istud est validum. Non obstat enim primum SYLVIAE matrimonium cum FELICIANO, siquidem per Professionem FELICIANI solutum est, juxta superius dicta. Nec obstat votum castitatis ad ipsa SYLVIA apud Moniales emissum cum votum illud fuerit simplex tantum, licet coram Episcopo emissum. Verum gravissime peccavit SYLVIA, matrimonium ineundo, quia violavit votum castitatis, quo se obstrinxerat. Debuisset ad dispensationem Pontificiam recurrere. Nunc vero Episcopum aut Confessarium regularem adire satis erit; HERMANNUS autem, valido conjunctus matrimonio, ad alias nuptias convolare non potest. Cum SYLVIA igitur in bona pace vitam ducat.

CASUS VI.

DIVORTIUM A TORO ET HABITATIONE 1°.

1° CLAUDINA a viro suo varias ob causas discessit, scilicet: 1° quia ipsa a marito sæpe verbis, necnon verberibus impetitur; 2° quia vir cum muliere malæ famæ frequens consortium habet, et ab ea discedere recusat; 3° quia maritus vino deditus, singulis fere diebus inebriatus, omnia subvertit, domumque tota nocte clamoribus implet, ita ut ipsa ne oculum quidem clauderet valeat.

2° CYRINUS ob uxoris adulterium, ex judicis sententia divortium fecit, quamvis ipse secreti adulterii reus foret. Quapropter dubitat an ipsam revocare teneatur.

3° MARCELLINUS, obtenta separatione ab uxore, de adulterio juridice convicta, statum clericalem amplecti statuit, et Ordines sacros successive suscepit. Sed ecce! vix erat ordinatus Sacerdos, cum uxor innocentiam suam juridice probat, virumque ad se redire jubet.

HINC :

QUER. 1° *Quibusnam de causis divortium fieri possit?*

2° *An valeant rationes a CLAUDINA allatæ in primo casu, etiam seorsim sumptæ, ut discedere possit etiam privata auctoritate.*

3° *An CYRINUS in 2° casu teneatur uxorem revocare? Quid, si adulterium tantum post separationem commisisset?*

4° *An MARCELLINUS in 3° casu teneatur ad uxorem redire, et maritali modo cum ea vivere?*

SOLUTIO :

910. — *R. ad 1^m Quæst.* Divortium a toro et habitatione fieri potest :